

primi sæculi Scriptorum, jamque expecto quid dicitur de Operibus S. Ignatii Martyris Episcopi Antiocheni, & Papiæ Hierapolitani Antistitis, quos inter primi sæculi Scriptores censuisti.

M. Septem Epistolas primæ pietatis, doctrinæ Ecclesiasticæ, & Episcopalis Regiminis documentis plenissimas a S. Ignatio Martyre ad varias Ecclesias fuisse conscriptas, & a S. Polycarpo collectas, constans est peritorum Criticorum sententia. Hæ autem sunt: *Ad Ephesos, ad Magnesianos, ad Trallianos, ad Romanos, ad Philadelphios, ad Smyrnos, ad Polycarpum*, quas puras, & ab omnibus affumentis liberas *Isaacus Vossius* ex manuscripto Græco Bibliothecæ Florentinæ Græce edidit, quarumque antiquam versionem latinam *Usserius* Archiepiscopus Armachanus ex duobus Codicibus manu exaratis, uno videlicet Bibliothecæ *Richardi Montacutii*, altero *Cambrigenis* antea publici juris fecerat. Has tamen septem genuinas S. Ignatii Epistolas, quas semper venerata est antiquitas, totis viribus oppugnarunt Presbyterianæ, Calvinianæque sectæ homines *Blondellus, Dalheus, Salmastus*, contra quos ad propugnandam harumque Epistolarum veritatem prolixiores dissertationes publica luce donarunt non solum Catholici Doctores, sed etiam sectæ Calvinianæ Hæretici, nimirum *Vedelius* Calvinista ac Genevensis Minister, *Vossius, Henricus Hammondus*, Presbyter in Schismate Anglicano, qui prolixam adversus *Blondellium* adornavit disputationem, qua non solum omnibus *Blondelli* argumentis fecit satis, sed adductis novis, firmisque rationum momentis septem illas Epistolas asseruit. Earundem etiam Epistolarum doctas vulgavit vindicias *Joannes Pearsonus* in eodem Schismate Presbyter, & postea Episcopus Cestriensis, & *Usserius* supra laudatus, quibus Ignatianam causam validis, invictisque munierunt argumentis, & omnes adversariorum objectiones funditus distulrunt. Cum igitur tota retro antiquitas, & peritiores Critici cum Catholici, tum Hæretici has septem Epistolas S. Ignatio adjudicent, ne pili quidem facere debemus sublestat, & frigidam conjecturas, quibus nonnulli Hæretici omnes ingenii sui nervos in eo contendunt, ut his septem Epistolis, quæ ipsorum errores jugulant, omnem detrahant auctoritatem.

Præter illas septem germanas S. Ignatii Martyris Epistolas, octo aliæ illius nomine inscriptæ feruntur, quæ sanctissimo huic Episcopo affictæ sunt, videlicet una *ad Mariam Cassabolinam*, una *ad Tarsenses*, una *ad Antiochenos*, una *ad Heronem*, una *ad Philippenses*, una *ad Beatam Virginem Mariam*, dux *ad Joannem Apostolum*. Has, inquam, octo Epistolas perperam S. Ignatio adscriptas esse dico, quia nec ab Eusebio, neque a S. Hieronymo, neque ab antiquis Patribus laudantur, nec redolent stylum, & ingenium S. Ignatii, multaque complectuntur, quæ nascentis Ecclesiæ moribus non conveniunt. Sed de Epistolis tam genuinis, quam supposititiis S. Ignatii legetis dissertationem XXIII. Sæc. I. Hist. Eccles. Patris *Natalis Alexandri*, & dissertationem septimam *P. Nicolai le Nouvry* in apparatu ad Bibliothecam maximam veterum Patrum. (a)

„ (a) Adicere tamen his omnibus oportet, septem illas epistolas, quæ pro sinceris hic vindicantur,

„ cantur, ac reipsa Ignatianæ sunt, antequam ab Isaacio Vossio e Florentina Bibliotheca producerentur, vulgatas ac notas fuisse eruditæ græce & latine; sed vetustiores istæ in multis interpolatæ sunt, ut facta collatione inter Vossianas & antiquiores ante Vossium intelligimus. Quæ ergo pro sinceris habendæ sunt, Vossianæ tantummodo titulum hunc juste merentur. Profecto Vossius græcum textum sincerum epistolæ ad Romanos non reperit, sed illum debemus *P. Ruinart*, qui inter Acta Martyrum sincera illum primus evulgavit.

Superest nunc, ut pauca dicam de scriptis S. Papiæ Hierapolitani Episcopi, quem alii auditorem S. Joannis Apostoli, alii vero Joannis Senioris, seu Presbyteri, Discipulum fuisse dicunt. Is S. Antistes, qui, juxta Eusebium & S. Hieronymum, quinque scripsit libros, qui inscribuntur: *Explanatio Sermonum Domini*, quorum hodie nonnulla dumtaxat supersunt fragmenta, non eximio, sed potius mediocri fuit præditus ingenio, sicut ex ipsius scriptis colligit Eusebius lib. 3. Hist. Eccles. cap. ultimo. Extat quidem nunc apud eundem Eusebium lib. 3. Hist. Eccl. cap. 36. ejusdem Papiæ elogium his verbis conceptum: *Papias quoque Hierapolitanus Episcopus eadem ætate celebris fuit, vir in primis disertus, & eruditus, ac scripturarum peritus*. Sed hoc totum Papiæ elogium, sicut optime observat doctissimus *Valesius* in notis Eusebianis, deest in tribus codicibus manuscriptis *Mazarino*, nempe, *Mediceo, & Fuketiano*. Quare non dubitat *Valesius*, quin hoc elogium fuerit ab imperito quodam Scholiaste adjectum, & in textum Eusebii intrusum. Ut ut sit, constat nunc Papiam primum auctorem fuisse opinionis, seu fabulæ de millenario post resurrectionem in terris Christi cum Sanctis futuro Regno, quem secuti sunt *Justinus, Irenæus*, & multi antiqui, quibus hæc hæreseos nota inuri non debet, cum hæc controversia necdum hisce temporibus esset plane eliquata, nec quidquam hac de re judicium decretorium pronunciasset Ecclesia, sicut postea super statu animarum e corporibus migrantium solemne suum promulgavit judicium in Conciliis Florentino, & Tridentino. Sed hæc tenus de Scriptoribus primi sæculi dictum sit.

D. Fueruntne in secundo Ecclesiæ sæculo plures Scriptorum, quam in primo?

M. Multo plures floruerunt Scriptorum in secundo Ecclesiæ sæculo, sed quorundam lucubrationes magno Reipublicæ Christianæ dispendio in integrum perierunt, vel quædam dumtaxat Operum, quæ ediderunt, fragmenta ad nostram usque ætatem pervenerunt. Non desunt tamen etiamnum integra Opera a secundo sæculi Scriptoribus lucubrata, quæ optimo jure locupletissima dici possunt venerandæ antiquitatis monumenta.

D. Incipiamus, si placet, ab illis secundi sæculi Scriptoribus, quorum lucubrationes, vel injuria temporum omnino perierunt, vel quædam dumtaxat illarum fragmenta ad nostram usque ætatem pervenerunt.

M. Bene multa virorum illustrium, seu Scriptorum Ecclesiasticorum secundi sæculi nunc desiderantur Opera, vel quædam tantum illorum exigua extant fragmenta, quæ Eusebius & Sanctus Hieronymus in suis libris referunt, & quæ hic indicare abunde suffi-

„ sufficiet. In primis, non amplius extat Apologia, quam *Quadratus* Senator Romanus pro Religione nostra adversus Ethnicos a se adornatam porrexit Adriano Imperatori, cujus Apologia mentionem faciunt Eusebius lib. 4. Hist. Ecclesiast. c. 3. & S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum. Secundo perit itidem Apologia pro fide Christiana eidem Imperatori oblata ab *Aristide* Atheiensis Philosopho eloquentissimo, ut legitur apud Eusebium ibidem, & apud S. Hieronymum in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 31. Tertio, deperdita sunt Opera, quæ adversus Marcionitarum Hæresim ediderunt *Philippus* Gortinensis Episcopus, & *Modestus*, qui sub Imperatoribus M. Antonino Vero, & L. Aurelio Commodio floruerunt. Quarto, ad nos usque non pervenerunt epistolæ Serapionis ad Pontium, & Carinum viros Ecclesiasticos adversus Montani Hæresim, nec Epistolæ Dionysii Corinthiorum Episcopi, nec Historia Ecclesiastica *Hegesippi*, nec Opera *Rhodonis* adversus Marcionitas, & Montanistas, nec liber *Musani* contra Encratitarum Hæresim, nec Apologia pro Christiana Religione Imperatori M. Antonino Vero oblata ab Apollinario Hierapolitano in Asia Episcopo, nec denique alii libri, quos scripsit idem Apollinarius, videlicet quinque contra Gentiles, duo de veritate, duo item contra Judæos, & alii contra Montani Hæresim, quæ tum primum prodire cœpit. Horum, inquam, Operum, quæ laudati Scriptorum, & nonnulli alii secundi Ecclesiæ sæculi viri illustres ediderunt, nihil impræsentiarum superest præter solam memoriam, vel pauca fragmenta, quæ leguntur apud Eusebium in Historia Ecclesiastica, & apud S. Hieronymum in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis.

D. Fueruntne isti, quos nominasti, clariore secundi Ecclesiæ sæculi Scriptorum?

M. Quamvis Ecclesiam ab istis, quos laudavi, Scriptoribus, plurimum fuisse in secundo sæculo illustratam negari minime possit, palmam tamen eruditionis illis præripuerunt, majoremque in eodem sæculo suis lucubrationibus Ecclesiæ splendorem contulerunt S. *Justinus Martyr*, S. *Irenæus*, S. *Clemens Alexandrinus*, & *Tertullianus*, quorum genuina Opera, quæ adhuc extant, vel vetustate evanuerunt, necnon supposititia, breviter recensito, ut in examine Operum, quæ ediderunt secundi Ecclesiæ sæculi Scriptorum, sanum & accuratum eruditorum hujus ætatis Criticorum judicium compertum, ac exploratum habere possis.

Ordior igitur a S. Justino, qui Neapoli Palæstinæ, patre *Prisco Bacchio* natus est, & ad Christianam Fidem conversus pro illius gloria Martyrii corona sub Marco Antonino Imperatore redimitus obiit, nobisque plurima reliquit ingenii sui eximia monumenta, & omnis generis eruditionis, utilitatisque plena. Inter genuina S. Justinii Opera, quæ etiamnum extant, ista censentur: *Parænesis ad Græcos*. *Apologia pro Christianis prima*. *Apologia pro Christianis secunda*. *Dialogus cum Tryphone Judeo*. *Epistola ad Diognetum*. Advertendum tamen est cum doctissimis Criticis, Apologiam S. Justinii, quæ prior inscribitur, & ad Senatam data, revera posteriorem esse, nec

Græves. Hist. Tom. I.

„ soli oblatam Senatui, sed Imperatoribus M. Aurelio, & L. Vero; eam autem Apologiam, quæ inscribitur *secunda*, & Antonino Pio Imperatori porrecta est, reapse primam esse, sicut testatur Eusebius lib. 4. Hist. Ecclesiast. cap. 18. S. Hieronymus in Catal. Script. Ecclesiast. cap. 34. & Phorius in Bibliotheca Cod. 125. Præter ista genuina S. Justinii Opera, quæ etiamnum extant, alia conscripsit S. Martyr, quæ tempus nobis invidit, cujusmodi sunt ista. *Liber de Anima*. *Liber de Monarchia Dei*. *Liber Psalter dictus*. *Liber contra omnes Hæreses*. *Liber contra Marcionem*. *Commentarius in Hexameron*. *Liber de Resurrectione carnis*. Hæc, inquam, S. Justinii Opera non comparent amplius. Postremo, alia Opera, quæ S. Justino tribuuntur, sunt plane supposititia, videlicet, *liber de Monarchia*. *Questiones, & Responsiones ad Græcos*. *Questiones Græcæ de Incorporato*, &c. Et ad eosdem Christianæ Responsiones. *Questionum 146*. *Responsio ad Orthonodoxos*. *Dubitationum adversus Religionem summarie solutiones*. *Expositio fidei de Sancta Trinitate*. *Epistola de vita Christiana ad Zenam, & Serenum*. *Aristotelicorum quorundam dogmatum everso* (a).

„ (a) Sunt tamen Critici, ætate nostra doctissimi, qui & nonnulla alia Justinii opera sincere esse judicant, uti librum *de Monarchia*, cujus tamen partem priorem intercidisse inter omnes constat, cum in illa probaverit Justinus ex auctoritate sacrorum librorum unum esse singulare numen, quod utique in ea partelibri de monarchia, hodie superstitæ, nihil ea de re legatur. Epistolam etiam *ad Zenam & Serenum* Justinum sapere, sicut etiam *eversonem Aristotelicorum quorundam dogmatum* plerique hodie agnoscunt.

Floruit in eodem secundo sæculo S. *Irenæus* natione Græcus, Lugdunensis Episcopus, Pothini præclari Martyris successor, & S. Polycarpi discipulus, qui postquam triginta circiter annis Episcopalis regiminis clavum tenuisset, tandem anno Christi 202. martyrio coronatus est, multosque a se conscriptos reliquit libros, qui ad nos usque non pervenerunt, nisi quinque libri, quos edidit adversus Hæresiarum Valentinum. Convenit inter omnes S. Irenæum fuisse Græcum, ejusque phrasim græcissimum redolere. Quapropter hallucinatus est *Erasmus*, vir licet emunctæ naris, qui existimavit S. Irenæum, non Græce, sed Latine scripsisse. Quo nomine jure vapulat a *Josepho Scaligero*, aliisque viris eruditis. Alia Opera, quæ præter istos quinque jam numeratos libros edidit S. Irenæus, temporum vetustas delevit, & sunt ista: *Libellus de scientia adversus Gentes*. *Demonstratio Apostolicæ prædicationis ad Marcianum fratrem*. *Liber de Ogdoade contra Valentinum*, cujus exiguum fragmentum refert Eusebius l. 5. Hist. Eccl. c. 8. *Epistola ad Blastum de Schismate*. *Epistola ad Florinum de Monarchia*, seu quod Deus non sit auctor mali, cujus fragmentum recenter ibidem Eusebius. *Epistola ad Victorem Papam de Paschate*. *Epistola ad varios Episcopos eadem de re, seu de Paschate*. *Variorum Tractatum liber unus*. Hæc Sancti Irenæi Opera peritisse dolent viri eruditi.

D 3

S. Cle-



S. Clemens Alexandrinus, qui secundum Ecclesiam saculum eruditione & pietate illustravit, fuit patria Atheniensis, Pantani Stoici Philosophi discipulus, Origenis Præceptor, dictusque est *Alexandrinus*, tum quia Ecclesiam Alexandrinam Presbyter esset, tum quia etiam diutissime docuit in schola Alexandrina, cui ante ipsum præfuit *Pantenus* illius Præceptor, teste Eusebio lib. 5. Hist. Eccles. cap. 10. ubi hæc habet: *Per idem tempus (Commodo nimirum imperante) Fidelium scholæ præerat vir doctrine causa celeberrimus, nomine Pantenus, quippe jam inde a priscis temporibus sacrarum litterarum schola in eadem Civitate Alexandrina fuerat instituta, que quidem nostra ætate adhuc perseverat.* Porro *Commodus* ab anno Christi 180. usque ad annum 193. Imperii habenas moderatus est: per hoc igitur temporis interval- lum *Pantenus* scholæ Alexandrinæ præfuit, eique postea successit *Clemens Alexandrinus*, qui tam sacra, quam exotica eruditione præditus insignia conscripsit volumina, quorum quædam adhuc extant, nimirum: *Adhortatio ad Gentes. Libri tres Pedagogi. Libri octo Stromatum. Oratio quædam dives ille sit. qui salvetur? Epitome doctrine Orientalis Theodori.* Quædam vero S. Clementis Alexandrini Opera ad nos usque non pervenerunt, videlicet *libri octo Hypotyposon, seu Institutionum. Canon Ecclesiasticus. Liber adversus Judaizantes. Liber de Paschate. Liber de Obreclatione. Disputationes de Jejuniis. Exhortatio ad Patientiam. Liber ad Neophytos, seu ad nuper baptizatos.* Alia Opera, quæ sub Clementis Alexandrini nomine circumferuntur, sunt supposititia, scilicet *Commentariola in primam Epistolam Canonicam S. Petri, in Epistolam Judæ, & in tres Epistolas S. Joannis Apostoli.* (a)

(a) De libro octavo Stromatum S. Clementis, prout hodie superest, dubitatum est, cum totus sit in dialecticis explicandis, nec præcedentibus septem libris omnino coherereat. Verum Photius hoc opus sic olim legit, ut hodie habemus. Sinceris etiam Clementis operibus, adijci solet Epitome, sive excerpta ex scriptis Theodori & doctrina, quæ Orientalis vocatur, ad Valentini tempora spectantia. Opusculum istud stylum Clementis sapere eruditi agnoscunt. Num ejus sit dubitari posset ex eo, quod quædam in eo continentur absona & a Clemente aliena. Forte tamen ex Theodoti sententia hæc afferuntur.

Inter celebriores secundi sæculi Scriptores non immerito numerari debet *Tertullianus* natione Afer, patria Carthaginensis, acris ac vehementis ingenii vir, & in omni genere literarum peritus, sed in loquendo parum facilis, minus comptus, & multum obscurus, sicut ait *Lactantius* lib. 5. Institut. Divin. cap. 1. Multa scripsit Opera, sive dum adhuc Catholicam Fidem profiteretur, sive postquam in Montani Hæresim lapsus est, quorum nonnulla adhuc extant, quædam vero omnino perierunt. Opera, quæ edidit *Tertullianus*, dum adhuc esset in gremio Catholicæ Ecclesiæ, & quæ etiamnum extant, sunt: *Liber Apologeticus. Libri duo ad Nationes. Liber de Testimonio*

*Anima. Liber ad Scapulam Africæ Prefectum. Liber de Spectaculis. Liber de Idololatria. Liber de Corona. Liber de Pallio. Liber de Pœnitentia. Liber de Oratione. Liber ad Martyres. Liber de Patientia. Libri duo de Cultu fœminarum. Libri duo ad Uxorem. Liber de Virginibus velandis. Liber adversus Judæos. Liber de præscriptione Hæreticorum. Liber de Baptismo. Liber de præscriptione Heremogenem. Liber adversus Valentinianos. Liber de Anima. Liber de Carne Christi. Liber de Resurrectione Carnis. Libri quinque adversus Marcionem. Liber adversus Praxeam. Liber Scorpiaci adversus Gnosticos.* Postquam autem *Tertullianus* universalis ac vetustæ fidei parum tenax ab ea desecit, & in Montani Hæresim lapsus est, hæc Opera edidit, videlicet: *Librum de Exhortatione castitatis. Librum de Monogamia. Librum de fuga in persecutione. Librum de Jejuniis. Librum de Pudicitia.* Opera *Tertulliani*, quæ non amplius extant, sunt: *Liber de Paradiso. Liber de Spe Fidelium. Sex Libri de Ecstasi. Liber adversus Apollonium. Liber adversus Apellicanos. Liber de vestibus Aaron. Liber de Censu Anime.* Alia Opera, quæ *Tertulliano* tribuuntur, sunt supposititia, scilicet *Pœnitentia --- Libri quinque contra Marcionem carmine scripti --- de Judicio Domini --- Genesis --- Sodoma.* Sed hæc dicta sufficiant de genuinis & spuris Operibus *Patrum Justini, Irenæi, Clementis Alexandrini, & Tertulliani*, quos celebriores secundi Ecclesiæ sæculi Scriptores existisse diximus. (b)

(b) Lectores nosse juvat librum *Tertulliani*, de Oratione ad nostram usque ætatem manum pervenisse; postremo vero a Cl. Muratorio in Codicibus Ambrosianis integer repertus evulgatus ab eo fuit in anecdotis tom. III. pag. 1.

Hi sunt igitur omnes Scriptores Ecclesiastici, qui secundo nominis Christiani sæculo floruerunt, & Ecclesiam scriptis illustrarunt?

M. Aliorum secundi sæculi Scriptorum, præter istos, quos memoravi, meminit *Historia Ecclesiastica*, quos inter recensentur *Tatianus, Melito, Theophilus Antiochenus, Athenagoras, Miltiades & Apollonius*, de quorum Operibus pauca hic attexam. *Tatianus* S. Justini Martyris discipulus infinita scripsit volumina, ex quibus unum egregium, quod adversus Gentiles edidit, etiamnum hodie habemus adjectum ad calcem Operum S. Justini, & tom. 1. Biblioth. Patrum Græcolatinæ. Mortuo S. Justino in multos errores prolapsus est *Tatianus*, factus auctor Sectæ *Encratitarum*, quasi continentium, qui nuptias detestabantur. *Melito* Asianus Sardinensis Episcopus floruit sub M. Antonino Vero Imperatore, cui egregiam pro Christianis obtulit Apologiam, ut liquet ex ejus fragmento apud *Eusebium* lib. 4. Hist. Ecclesiast. cap. 26. Multa alia ejus Opera recensent ibidem *Eusebius* & S. Hieronymus in Catal. Script. Ecclesiast. quæ magno Ecclesiæ damno perierunt, librum tamen inscriptum de *Transitu Virginis* non esse genuinum *Melitonis* factum fatentur omnes periti Critici, non solum quia hujus libri inter Opera *Melitonis* non in eminere *Eusebius*, & S. Hieronymus, sed etiam quia stylus hujus

hujus libri tantum a stylo Apologiæ distat. Hinc *Gelasius* Papa hunc librum de *Transitu Virginis* declaravit Apocryphum in Concilio Romæ habito anno Christi 494. *Theophilus* Antiochenus Ecclesiæ Episcopus multa elegantissima scripsit Opera, quæ quibus soli supersunt tres libri ad *Autloycum*, qui extant tom. 1. Biblioth. Patrum Græcolatinæ: *Athenagoras* edidit Apologiam pro Christianis, & librum de *Resurrectione Mortuorum*: extat utrumque opus ad finem Operum S. Justini, editionis Parisiensis anni 1615. & tom. 1. Bibli. Patrum Græcolatinæ. *Miltiades* Apologiam pro Christiana Religione scripsit, aliaque Opera, quæ non amplius extant. *Apollonius* insigne volumen edidit adversus *Montanum, Priscillam, & Maximillam*, cujus aliquot fragmenta refert *Eusebius* lib. 5. Hist. Ecclesiast. cap. 18. De his Ecclesiasticis secundi sæculi Scriptoribus plura dicere non vacat, maxime cum adhuc mihi incumbat onus differendi de Scriptoribus, qui in tertio Ecclesiæ sæculo floruerunt.

D. Cedo, si placet, nomina Scriptorum, qui in tertio Christiani nominis sæculo doctrina, & pietate claruerunt.

M. Tertio sæculo Ecclesiam suis lucubrationibus illustrarunt *Minutius Felix, Hippolytus* Portuensis Episcopus, *Cajus, Origenes, Ammonius, Julius Africanus, S. Cornelius Papa, Dionysius Romanus, Pierius, Pontius* Diaconus, *S. Gregorius Neocæsariensis, & S. Dionysius Alexandrinus*, quorum genuina Opera juxta doctissimorum virorum judicium hic breviter recensere, ut tuum deinde judicium acuer, & confirmare possis. uberioreremque ex eorum lectione valeas percipere fructum.

In primis *Minutius Felix*, qui fuit natione Afer, & inter Romanos Caustidicos celebris, eloquentissimum edidit Dialogum inter *Cæciliam Gentilem, & Octavium Christianum*, in quo totum Gentilium cultum tam erudite, tam venuste, & ingeniose convellit *Minutius Felix*, & e contra Christianos, eorumque sacra ab omnibus *Cæciliæ* calumniis, atque objectionibus adeo nerve, & eleganter vindicat, ut tandem *Cæciliæ* manus det, herbam porrigat, atque ab *Octavio* Christianorum vindice, ac Patrone victum se, ac superatum gloriatur. Hic Dialogus diu *Arnobii*, tamquam *Octavius* ipsius liber habitus est, eo potissimum nomine quod cum septem *Arnobii* libris in veteri quodam manuscripto Bibliothecæ Vaticanæ repertus fuerit, & quater sub nomine *Arnobii* typis mandatus. At eruditus Jurisconsultus *Baldwinus* vulgarem hunc errorem primus animadvertit, atque *Heidelbergæ* anno 1560. hunc Dialogum excudendum curavit cum doctissima præfatione, qua illum *Minutio Felici* vero suo Authori restituit.

S. Hippolyti Episcopi Portuensis Opera recensent *Eusebius* lib. 6. Hist. Eccl. cap. 22. S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccles. c. 72. & *Photius* in Bibliotheca Cod. 121. & 202. eorumque indiculus habetur in nobili, & pervetusto monumento, quod, teste Cl. Abbate *Joanne Vi-*

gnolio in dissertatione, quam nuper edidit, de anno primo Imperii *Alexandri Severi*, effossum est in Agro Verano non procul ab *Æde S. Laurentii* anno Domini 1551. *Marcello Cervino* Cardinali, postea Summo Pontifice, tunc S. R. Ecclesiæ Bibliothecario, cui par visum fuit, ut in Bibliothecam Vaticanam inferretur. Istud autem celebre Antiquitatis Ecclesiasticæ Monumentum nihil aliud est, quam marmorea statua Cathedræ insidens, utrinque litteris Græcis inscripta, in qua habetur Canon Paschalis, & ad ejus marginem Catalogus multorum librorum, quos edidit S. Hippolytus, & qui non amplius extant, præter Canonem Paschalem, quem omnes periti Critici S. Hippolyto adjudicant, & Orationem de Antichristo, quam *Rivetus, Casaubonus*, alique ex Hæreticorum grege frustra S. Hippolyto eripere conati sunt. Canonis sui Paschalis initium auspiciatus est S. Hippolytus ab anno Domini 222. in quem quidem annum Imperii *Alexandri Severi* primum incidisse multis argumentis evincit jam laudatus Abbas *Joannes Vignolius*, quem, si tibi per otium liceat, consulere poteris, sicut & *Josephum Scaligerum* lib. 7. de emend. temporum pag. 723. *Petavium* lib. 11. de Doctrina Temporum, *Lemoinium* in suis observationibus pag. 930. *Buberium* de Doctrina Temp. pag. 291. qui omnes Indiculum Operum S. Hippolyti descriptum in celebri jam citato Antiquitatis monumento doctissimis suis Notis illustrarunt.

Sedente *Zephirino* Papa, floruit vir insignis Romanæ Ecclesiæ Presbyter *Cajus*, qui, imperante *Caracalla*, disputationem adversus *Proclum*, seu *Proclum* Sectatorem *Montani* habuit, eumque super novam Prophetiam temeritatis arguit. Auctor est idem *Cajus* libri de *Universo*, qui olim *Josepho* Historico erat falso adscriptus, & libri, cui titulus est, *Labyrinthus*, in quo de *Natali*, qui *Theodoti* partes secutus fuerat, mentionem facit, quod ex eo libro transcripsit *Eusebius*. Scripsit & alium Tractatum *Cajus* contra *Artemonis* Hæresim, teste *Photio* in Biblioth. Cod. 48. ubi etiam ait, *Cajum* ordinatum fuisse Episcopum, ut ad *Gentes* prædicatum iret.

Verum, inter Scriptorum tertii Ecclesiæ sæculi præcipue eminent *Origenes* Patria Alexandrinus, S. Leonidis Martyris filius, a puero sacris litteris imbutus, sublimis ingenio, eruditione nulli secundus, & ita laboris patiens, ut, ob indefessam in scribendo, legendoque constantiam, fuerit *Adamantius* cognomine dictus. Castitatis autem adeo rigidus cultor & amator fuit, ut, dum scholæ Alexandrinæ post S. Clementem Alexandrinum esset præpositus, Fœminisque Fidei præcepta compluribus dare cogeretur, semetipsum eviraverit, ut omnem calumniæ occasionem Ethnicis adimeret. In Aethiam postea profectus *Origenes*, dumque in *Palaestina* versaretur, ab *Alexandro* Hierosolymitano, & *Theodotisto* Cæsariensi Episcopo ad Presbyterii gradum evectus est anno ætatis suæ circiter 44. Quam ordinationem ægre tulit *Demetrius* Alexandrinus Episcopus, qui magno animi æstu facinus ab *Origene* adhuc adole-